



*σ. i. 810 (1-39).*




PLAVSVS VOTTIVOS  
QVVM  
LVX NATALITIA  
VIRI PERILLVSTRIS AC EXCELLENTISSIMI  
DOMINI  
DE SCHOMBVRG  
AVGVSTISSIMI REGIS DANIAE AC NORVAGIAE RELIQ.  
A CONFERENTIIS CONSILIARII HEROISQVE  
TOGATI

MAECENATIS SVI OPTIMI  
A. D. X. KAL. MART. c̄b̄b̄CCXLIV.  
XXXIX VICE FAVSTIS OMINIBVS REDIRET  
QVA DECET PIETATE DARE,

---

ET  
PAVCA DE PIETATE DAVIDIS  
IN INIMICOS ADIICERE  
VOLVIT  
OTTO HENRICVS GROSHEMIVS.

  
ALTONAE, EX OFFICINA BVRMESTERIANA.

~~XXXXIII~~  
36



DE SCHOMBURG  
VIR PERILLVSTIS ATQVE  
EXCELLENTISSIME

MAECENATIS SUI OPTIMI

XXXIX VICE RAVSTIS OMNIBVS REDIRET

**F**elicitior illi dicitur dies, Vn perillibus TVVS  
natalibus Dies, induram, omnibus bonis  
exornatus, quos optabilis in hoc mundo  
illustior magnum abhorat. Annona in his et gra-  
tulacionibus hanc dies persequi, his est satis qui-  
dem vobis, p. nuncius vereturde sacre videor,  
quod ff. tot transactio operum negotis, lictis  
tristis rursus hodie, rursus, elegantis ac sanitate  
bellum-magnum, Me autem, quem exultantis  
non

A 2

XXXX  
22





VIR PERILLVSTRIS ATQVE  
EXCELLENTISSIME,

**F**eliciori fidere illuxit dies, Vir perillustris, TVVS  
natalitius. Dies, inquam, omnibus bonis  
exoptatus, quo nec optabilior, nec auspiciator, nec  
illustrior unquam adparuit. Supplicationibus et gra-  
tulationibus hunc diem persequi, fas est. Satis qui-  
dem audacter, parumque verecunde facere videor,  
quum TE tot grauisimis obrutum negotiis, litteris  
meis, minus politis, omnique elegancia ac suauitate  
destitutis interpello. Me autem, quem eloquentia

A 2

non



non commendabit, excusabit pietas. Non mihi pro-  
fecto reprehendendus videor. Iam dudum moni-  
mentum quoddam pium nomini TVO erigere, gessit  
animus. Et si eam scio modestiam TVAM esse, eam  
animi magnitudinem, vt facile tali careas monimen-  
to, qui nullum virtuti neque maius esse, neque di-  
gnius theatrum conscientia putes, et malis laudanda  
sine laude facere, quam inanibus laudibus celebrari,  
quibus humiles et plebeiae pascuntur animulae: Ta-  
men TVAM in me collatorum beneficiorum gratam  
commemorationem, nullo modo praetermittendam  
esse puto. Deberi TIBI omnia mea probe noui;  
noui autem, non sine grata deuotaque mente. Non  
vna ratione me expertum humanitatem TVAM  
palam profiteor. Mihi aditus TE conueniendi sem-  
per patet, mihi que hoc iugi triennio, quod heic  
commorari contigit, signa beneuolentiae in me  
TVAE singularis exhibuisti praeclara. Ego si quid  
laudando valerem, vnam tantummodo ex praecla-  
ro illo virtutum pulcherrimarum choro mihi delige-  
rem, illam perpetuam, serenam semper ac tran-  
quillam, praesentem semper, efficacemque benigni-  
tatem, qua bonus ipse candidus, beneficus, bene-  
facere omnibus omnia, bene sperare de omnibus,  
bene interpretari omnia, quantum quidem per sa-  
pien-



pietiaē rationēs licet, soles. Quae omnia me TIBI,  
Vir Perillustris, obstrictissimum reddunt. Quam ob  
repp̄, eam felicitatem, non TIBI solum, sed et mihi,  
quin Altonae ac reipublicae gratulor. Permittas  
quaeso, Vir Perillustris, me de his omnibus ad inui-  
diam vsque laetari. Diei TVO natali feliciter re-  
deunti id indulgeas velim. Liceat itaque mihi plau-  
denti exultare, Deoque pro TVA incolumitate hoc  
die gratias agere habereque debitas. Nullam enim  
referre possum. Liceat vota pro TVA valetudine,  
prosperitateque perpetua nuncupare ardentissima.  
Ego Deum immortalem indefessis castisque semper  
supplex implorabo precibus, vt lucis huius TVAE  
natalitiae, et anniuersariam huius diei celebritatem,  
tam diu nobis clementissime indulgeat, quamdiu  
terra tanti muneris est capax, TVISque meritis in-  
signibus annos adaequet. Ex veteri formula TIBI  
adclamat pietas. Maeste o virtute et meritis Peril-  
lustris SCHOMBVRGI, et me inposterum fa-  
uore TVO vberiori amplecti, perge.



Pace TVA, Vir perillustis, sermonem quendam breuem  
de PIETATE DAVIDIS IN INIMICOS instituiam.  
Vt hunc fronte serena accipias perlegasque, hoc est, quod  
rogo.

Prima utique atque excellentissima regis laus in pietate est  
sita, quae si ab eius persona absit, aut summum ius, quod aiunt  
veteres, summam fieri iniuriam, aut iniustitiae speciem in-  
duere necesse est. Ea profecto pietatis est conditio, ut nun-  
quam ab se iunctas habeat virtutes reliquas, sed istis semper  
comitata adsit, et tanquam earum regina, sacro hoc satelli-  
ticio stipata effulgeat. Regium sane pietatis, et quod, ut ita  
dicam, pietatem ferme ipsam superat, in inimicos exemplar  
ob oculos ponere licet nostros. Consentientibus sacrorum  
librorum iudiciis, Dauides ut vere pius adpelletur, census est  
dignissimus. Dauides, puto, omnibus saeculis vere laudan-  
dus princeps, qui nihil in vita nisi laudandum aut fecit, aut  
dixit, aut cogitavit. Duratura est huius regis gloria, tot  
documentis certissimis comprobata, nec moritura consecrata  
aeternitati memoria, nec interitura incomparabilis pietatis \*)  
monimenta numerosissima, quae nullus vnquam dies, nisi  
qui saecula omnia abolebit. Pii Dauidis memoria non modo  
bonis

\*) Nos non fugit, apud probatos et emendatae latinitatis scriptores,  
non vnam hanc vocem induere significationem. Solemnius enim  
nihil est, quam quae erga patriam aut parentes, aut alios sanguine  
coniunctos officium conservare monet, virtutem pietatem dicere,  
Erga patriam in primis pietatem Cicero, Orat. Philipp. Lib. V.  
cap. VI. memoratam haud raro veteres quoque designant. Nec mi-  
nus frequens in parentes pietatis, tum apud veteres latini sermonis  
scriptores perites, tum in numis quoque iniicitur mentio. Attici  
laudat pietatem Cornelius, id quod in funere matris suae vere gloria-



bonis omnibus sit iucunda, verum etiam grata. Celebranda sit ac omni iure commendanda Regis nostri Israëlitiçi pietas, et in Deum, et in parentes, et in patriam, et in amicos, et quod omnem laudem superat, in inimicos, ofores atque obtretractores. Virtutes noster Dauides, non vitia et fordes festabatur. Haec via est quam triuit. Hae alae, quibus ad illud regni fastigium est euectus. Pauca de Dauidis pietate in inimicos commemorare licet. Hic haerebit animus. Qui rerum sacrarum expertes haud sunt, illis vel nobis non decentibus Dauidis pietas in inimicos admiratione imitationeque dignissima videbitur. Dauidem singulari Numinis prouidentia solum tunc temporis Israëlitarum nouum ascendisse, inter omnes sacrarum litterarum lectores constat. Quem Isaci filium nati minimum, pecora pascentem, prouida Dei cura ad fummos euexit honores. Inopinato regiam incessit viam. Iusu summi Iehouae e grege euocatus, rex Israëlitarum vntus, Saulo adhuc viuente, designabatur. En praemia pietatis splendida! En honores, munera, dignitates. Regiam dignitatem obtinere, populo Dei consulere, immo cum regere, non parui aestimandum puto. Quemadmodum autem, vt dicere solent, inuidia sit gloriae dignitatisque comes, libenterque detrahatur de his aliquid, quos eminere videant altius; Ita Dauides noster quin eam exciperet, patienterque ferret, non potuit. Quam autem pietate, clementia, virtute,

ac

tus fuerit, se nunquam cum matre in gratiam rediisse, nunquam cum sorore fuisse in similitate. In Vita Attici cap. XVII. Cicero quoque dum pietatis munus esse docet, patrum iniurias aequo animo ferre, idem comprobat. Taciti, Suetonii, Plinii aliorumque documentis idem euinci posset, nisi alii iam abunde id praestitissent. Sed nobis quidem pietas nunc aliud nihil, quam officia erga inimicos, nominisque ofores denorat,



ac obsequio lenire semper operam dedit Dauides curatissimam. Coronam regiam illi diuinitus concessam, antequam regnaret, et gestis praeclarissimis, et regis virtutibus condecorauit. Adfunt multa virtutis documenta, fulgent atque splendescunt. In sacras relationes intueri licet. Cum aliquando Palaestini, copiis suis ad bellum coacti conuenissent, bellumque aduersus Israëlitas gerere decreuissent, castraque eum in finem inter Sochonem et Azecam fecissent, rem quandam praeter omnium opinionem accidisse, legimus. Ex parte Palaestinatorum vir quidam, sex cubitus, vt aiunt scriptores sacri, longus, aëre caligatus, aëreamque humeris sustinens hastam. Hic ad certamen quoddam singulare vnum ex Israëlitarum cohorte adclamans prouocauit. Id certamen nempe ea conditione instituendum proposuit, vt inferior superiori seruiret, gentes iamiam decertaturae arma reiicerent, bella componerent, et ad seruitutem victoris sese accommodarent. Quo facto, Saulus et uniuersi Israëlitaë, non mediocri terrore fuerant perculsi. Vnicus libertatis publicae asseror erat filius Ilaei minimus. Vnicus Dauides certamen iniit hoc grauissimum. Auxilio diuino, immo potente tuto fretus, rem suam gesit feliciter. Palaestinum illum grandem, funda et saxo victum necauit, eumque amputato capite peremit. En praeclaram Dauidis virtutem! Sed haec virtus pariebat inuidiam. Ex inuidia oriebantur ob-

Quantum inter veri DEi cultorem, et profano cultui deditum intercedat discrimen, ex eo adparet. Ajax Telamonius ille, quum ad bellum Troianum profecturus a parente admoneretur, vt non tam virtute sua, quam Deorum auxilio fideret, si rem praeclare gerere velit, suarum illi virium opinione ac fiducia insolentior, superbe respondisse fertur. Ignavos egere auxilio Deorum, se victoriam et gloriam per se reportaturum. Euentus tamen docuit, verum esse illud Camilli apud Liuium, Omnia prospere euenire cõtentibus Deum, spernentibus aduersa.



obtreccationes, ex obtreccationibus odia, ex odiis denique crudelitates. O miseram hominum conditionem! Quent enim fugit, Saulum illum regem impium, et ad quaeuis mala propensum, Dauidem strenuum, non modo insidiis circumvenisse callidissimis, verum etiam interficere variis modis, vaferrimaque arte quam saepissime studuisse. Quanta virtutum praemia haec erant? Nullus ferme locus Dauidi tutus inueniebatur, adeo, vt vix inimicorum inuidiam, insidias, crudelitatemque effugere posset. Nunc pietas Dauidis pereximia in aprico erit, nunc huius erga inimicos amorem maxima cum admiratione intueri licet. Iniuriam vindicandi. \*) Saulique inimici interimendi, saepius occasio Dauidi nostro data erat opportunissima. Verum enim vero occasionem a fortuna datam semper dimisit rex noster magnanimus. Manus inimico nunquam intulit. Generoso potius contentu, patientiaque insigni sortem suam tulit aduersam. Quid? quod in primis meretur admirationem, fatum, quod Saulo impio obtigit asperum, noster benignus Dauides, non hilari, sed potius tristi excepit animo. Minime gentium nuncius de morte persecutoris erat laetissimus. Testantur id historiae, comprobantque testimonia sacra. Traducit omnino eos, qui legunt pietatem, in magnam immo maximam admirationem. Cum rumor de morte Sauli increbesceret, ac per omnes Israëliitarum terras vagaretur, omnino est quod cogitemus, Dauidem palam exultare laetitia et triumphare gaudio coepisse. Tantum autem aberat a rege nostro, vt gaudio exaltaret, immoderateque iactaretur, vt potius hanc mortem grauissime sentiret, vestimenta sua

B

cor-

\*) Alucinari in ea re videntur pagani. Vltionis, aiebant, quemadmodum acres, ita iustos alias aculeos esse, qui lacesiti concitantur, ac ceptum dolorem pensare cupientes.



corriperet, cum luctu et ploratu ad vesperum cibo se abstineret, aliaque doloris vehementissimi signa exhiberet apertissima. Quae cum ita sint, Dauidem tenerrimo amoris sensu tactum fuisse luculentissime adparet. Tali ratione pietas impietatem vicit atque superavit. En vltionem homine vero dignissimam! Verum enim vero Dauides, quem describimus, noster, pietatem in Saulum suam, his rebus non tam definiuit, quam potius ad illius posteros et affe, clas quasi transfudit. Sceleris socios, audaciae satellites, atque crudelitatis ministros, nullis quamquam meruissent, cruciatibus mancipari iussit. Illorum scelera, impietatem atque obtrectationem non modo remisit beneuole, verum etiam omisit, non omisit solum, sed quoque beneficiis splendidissimis compensauit Dauides. Nullius rei facilius oblitus, quam iniuriarum. Nil iucundius suauiusque sibi existimabat, quam delictorum gratiam facere, maleuolis ignoscere, atque errantes emendare. Idque sapientissime praestabat Dauides. Vnum tantummodo pietatis Dauidicae in posteros inimici documentum adlegare licet. Quaerenti Dauidi, an vllus ex Sauli genere esset superstes, in quem beneficia conferre posset eximia; Mephibosetus regis interfecti nepos erat ei oblatu. Multa enim in Sauli profapiam extare voluit clementiae pietatisque argumenta. Quam igitur ob causam, Mephibosetum pedibus laesum, teste sacro codice, non solum beneficiis adfici, sed etiam, quod laude dignissimum erat, Sauli agros reddi curauit. Dauides itaque, vt propter pietatem in inimicos insignem cognomine pius \*) adpellaretur, iure est meritus. Exemplar  
pieta-

\*) Non vna eademque ratione ille sacculi secundi p. C. n. Antonius Imperator notissimus cognomine PIVS est dictus. Solam enim propter clementiam hoc nomen alias praeclarum obtinuit.



pietatis nobis esto, semper que maneto o Rex pie! et ad talia agenda nos incita. Ne inimicis quidem irascendum ex hoc perspiciamus. Non audiendi, qui gratiter irascendum inimicis putabunt, idque magnanimi et fortis viri esse censebunt. Nihil magno et praeclaro viro dignius placabilitate atque clementia. \*) Minus profecto bonum est, erga eum esse beneuolum, qui Tibi nil mali fecit. Illud autem multo honestius grandiusque, et manifestissimae bonitatis est, ut tuum quoque inimicum diligas, eumque non minus favore quam amore prosequaris. Viri boni omnino est, scire pati

B 2

Iosephus Antiocho pii nomen haesisse, ob singularem in religionem Ebraeorum amorem, memoriae prodidit, *δι' ὑπερβολὴν τῆς θεοσεμίας εὐσεβῆ πάντες ἐκαλεσάμ.*

Nec sequiori acuo in frequens fuit hac voce uti. Exempla illorum quibus piorum nomen inditum est, quod seduli Numinis essent cultores, sacrisque operari in deliciis haberent, hoc comprobant. Robertum sane Gallorum regem memorant annales, principem ut Aemilii verbis utar, in templis frequentem, Numinis reuerentissimum, liberalibus studiis, sacrisque disciplinis deditum, praeclara sanctitatis aemulum, indeque PIVM esse dictum referunt. Sic Ericum suum Dania, Alphonsum Arragonia, Bohemia Boleslaum, Flandriaque Carolum Comitem ostentant, quibus omnibus piorum nomen, ut refertur, Numinis quo flagrarunt amor, peperit.

Nonnulli autem PII tantummodo sunt dicti, ob propensionem erga facti ordinis viros. Etenim qui erga Deum pius est, non potest non illos, qui rebus sacris praesunt, viamque ad beatorum sedes mortalibus pandunt, insigni prosequi amore. Quicquid huius sit, certe Ludouico imperatori Caroli M. filio, PII nomen non alia de causa obuenisse, quam quod clericos singulari favore prosequeretur, intelligimus ex auctore anonymo, qui vitam eius litterarum monumentis consecrauit.

\*) Diodorus Sicul. libr. XII. mentionem fecit, zalenci legibus interdictum fuisse, ne quis cuius diuturnam aduersus ciuem iram et inimicitiam gereret. Si qui essent irae peruicacioris, eos pro indomitis et feris, ctagestis inhumane ingenii viris habendos sanxerat,



nec facere iniuriam, \*) Christiani vero indulgentia, amore, beneficiisque compensare iniuriam. Dauidis exemplum instar regulae nobis esto. Ad praeclara agenda nos excitet, inimicos vero benevolentia superare nos doceat. Quam obrem, quantum in nos erit, vt Dauidis diligentissimi fiamus imitatores, studebimus.

\*) Socratem, aiunt, colapho percussum nihil, amplius dixisse, quam molestum esse, quod nescirent homines, quando cum galca prodire deberent.





01 A 6519

ULB Halle 3  
002 928 736



Slk. 7 = Zschr.

5b.

Rehr. J


K











PLAVSVS VOTIVOS  
QVVM  
LVX NATALITIA  
VIRI PERILLVSTRIS AC EXCELLENTISSIMI  
DOMINI  
DE SCHOMBVRG  
AVGVSTISSIMI REGIS DANIAE AC NORVAGIAE RELIQ.  
A CONFERENTIIS CONSILIARII HEROISQVE  
TOGATI

MAECENATIS SVI OPTIMI

A. D. X. KAL. MART. cl<sup>o</sup> l<sup>o</sup> CCXLIV.

XXXIX VICE FAVSTIS OMINIBVS REDIRET  
QVA DECET PIETATE DARE,

---

ET  
PAVCA DE PIETATE DAVIDIS  
IN INIMICOS ADIICERE  
VOLVIT

OTTO HENRICVS GROSTEMIVS.

ALTONAE, Ex OFFICINA BVRMESTERIANA.

XXXVII.  
36